

Valahfridus:
In memoriam Iani Novák musici Latinissimi¹

Oratio Brunnae in cimeterio habita
d. 4 m. Apr. 2011²

Abhinc plus quinque lustra de Iano Novák dixi in exequiis Vlmae in Suebia habitis;
multis annis post sepulcrum eius tacitus uisitauit Roboretanum;
nunc in ipso sepulcro perpetuo ac dignissimo Brunneni iterum renouanda est oratio.
Quis illum neget uirum uere Europaeum fuisse?
De quo mortuo etiam tres quasi patriae, Morauia Italia Germania, certant.

Quamquam non solum illae tres terrae, ubi diu fuit, hunc ciuem sibi uindicant.
Sunt duae maiores patriae, quae, cum fines populorum transcendunt,
maiore etiam iure eum suum clamant: Musica et Latinitas.
Musicae lingua ab omnibus hominibus, dummodo sint homines, intellegitur.
Latinitas est illa quidem pauciorum et doctiorum,
sed quae aetatum tempora omnium transiliat.

Nos quoque percipimus id quod Vergilius Cicero Erasmus Comeniusque dixerunt:
futura quoque saecula intelligent Iani Novák Latina scripta et carmina.

Neque ille immerito, cum ab homine insulso interrogatus esset,
cur semper Latinae linguae, Latinis Musis studeret
easque cum musica coniungeret, respondit:

„O bone, nil est: hoc tantum facio immortalitatis causa.“

Praclare dictum: Quam musica immortalis tam sermo Latinus.

Quare Ianus Novák inde ab eo tempore, quo coepit Latinos modos musicos fingere,
etiam Latine poetari instituit.³

Et quam uenusta carmina!

Neque enim timide ac moleste inhaesit uestigiis ueterum:
noua semper tam nouacia quam uiuacia protulit!

Quorum materia quamquam pro ingenii magnitudine erat multiplex,
duo praeualebant praecipue: amoris ignes et tempus uernale.

Quo magis iuuat hoc uernali tempore ad uos dicere – nec sine amoris ignibus.

Regnat autem ubique in carminibus eius laetitia;
saltem in musica senili interdum tristiora audiuntur.

Iuuenilia et uirilia poemata omnia scatent iocosis facetiis –
quibus Latina lingua unice apta est.

¹ Jan Novak, omnium musicorum qui umquam fuerunt facile Latinissimus, natus in Morauia (a. 1921), post studia Americana apud Aaronem Copland et Bohuslauum Martinu, Brunnae degebat, donec Bohemoslouacia a Russis occupata, patriam exul fugit. E Dania Roboretum in Italiam uenit, denique Neo-Vlmae in Germaniam, ubi a. 1984 uita defunctus est. Antea a. 1983 mihi licuit una cum eo primos LVDOS LATINOS (Eluaci inVirttembergia) edere. Plura (de notis musicis, phonodiscis, acroasibus etc.) una cum diligentissimo catalogo operum inuenies in pagina domestica *Sodalitatis LVDIS LATINIS faciundis* e.V. Monacensis http://www.lrz.de/~stroh/novak/jan_novak.htm (quam curat Catharina Kagerer), quae Sodalitas etiam notas musicas in musicotheca asseruat Ianumque Novák quasi patrem et conditorem suum colit. Nonnulla habet etiam pagina interretialis a filia Clara Nováková instituta.: <http://www.jannovak.eu/>. Multa in usum scholarum utilia inueniuntur apud <http://www.antike-zum-begreifen.de/>

² Occasionem huius oratiunculae, quae in etiam in linguam Bohemicam secundum singulas periodos uertebatur, dederunt cineres Iani Novák, qui Roboreto Brunnam translati ibi denuo sepulti sunt. Quae res etiam uesperis in Oeco musico magno Brunneni a symphoniacis chorisque cantantium et saltantium celebrata est.

³ Iani Novák carmina Latina (una cum dialogis quibusdam facetis) edentur, si di uoluerint, in *Supplementis Lovaniensibus*.

Nec tamen id Ianum Novák ad Latinas litteras maxime attraxit:
 Maxime eum tenebant numeri siue rhythmī Musarum ueterum.
 Ei enim, quales a Romanis colebantur, suauitatem quandam habent singularem,
 quam aliae linguae imitari non queunt.
 Vos fortasse e parua parte, Morauī seu Bohemi, propter sermonis naturam potestis⁴ –
 nos Germani, Russi, Angli, alii nullo modo.
 Quam uim paucissimi intellegunt etiam ex eruditis.
 Quare, cum ei numeri pugnare uiderentur cum numeris musicis consuetis,⁵
 a recentibus compositoribus ubique negligebantur.
 Aetate renescentium litterarum admodum pauci studuerunt tale quid conari,⁶
 deinde ars illa quasi sepulta iacuit.
 Audite fabulas musicas Latinas a Mozartio, Strawinskio, Orffio compositas!⁷
 Vnus Ianus Novák artificium inuenit, quomodo illi numeri exprimi possent,
 miro effectū, unica dulcedine.
 Nec constitit in uerbis: ad organa quoque siue instrumenta musica id transtulit:
 Sic nunc Horatius a solis fidibus, citharis, clauibus cantari potest.⁸
 Quod artificium ne periret, inuenta sua etiam scripto posteris communicauit:
 Scripsit enim librum sub titulo „Musica poetica latina“ –
 opus singulare, quale nemo ante illum confecit.⁹

Sed haec solum ad auream aetatem classicam quae dicitur pertinent.
 Ianus autem, cum uideret linguam immortalem per saecula saeculorum uiguisse,
 omnes aetates mira curiositate perquirebat,
 ut inde a Plauto ad nostra tempora
 quodcumque Latinum modis dignum uideretur expiscaretur!¹⁰
 Ergo ut Ricardus Wagner olim in sepulcro Caroli Mariae a Weber dixit:
 „Nemo umquam musicus Germanior fuit quam tu“,
 et ut uos fortasse dicitis
 non fuisse musicum Morauiozem Leone Janáček, qui illic sepultus est,¹¹
 sic mihi nunc exclamare meo iure licet:
 „Nemo umquam musicus Latinior fuit, quam tu, Iane Novák.“

Nec de homine et amico tacere uolo.
 Scitis fortasse uocem ipsam humanitatis formatam esse a Romanis eo consilio,
 ut in se summam benignitatem et hilaritatem et eruditionem contineret.
 Equidem uix in ullo homine haec tria, quae maxime ad hominis naturam pertinent,
 tam coniuncta uidi, quam in hoc Iano Novák.

⁴ In lingua Bohemica (ut in Hungarica et Finnica) distinguitur inter longas breuesque syllabas, nec syllaba acuta producitur.

⁵ Inde fere ab a. 1600 dominari coeperunt in musica Europaea illi tactus isochroni i.e. in aequa tempora diuisi, qui praesertim cum metris Horatianis non bene conueniunt.

⁶ Hic respiciuntur illa Odae humanisticae quales Ludouicus Senfl aut Paulus Hofhaimer saec. XV composuerunt. Cf. de his rebus W. Stroh, „Jan Novák: moderner Komponist antiker Texte“ [zuerst 1999]. In: *Dino, Zeus und Asterix*, 2002, 249-263. Quod obtinetur per <http://www.antike-zum-begreifen.de/>

⁷ W.A. Mozartii *Apollo et Hyacinthus* (1767); I. Strawinskii *Oedipus Rex* (1927/8); C. Orffii *Carmina Burana* (1937) et *Catulli Carmina* (1943). Accedit quarta fabula musica Latina Iani Novák *Dulcitus* (primum edita Brunnae a. 1990) ad uerba Rosvitae Gandershemensis.

⁸ *Odorum concentus* fidibus (1973), *Cithara poetica* citharae (1977), *Odae* clauibus (1978).

⁹ Cum Germanica uersione et commentario Latino ed. W. Stroh, 2001, quod obtinetur per <http://www.antike-zum-begreifen.de/>

¹⁰ Cf. praesertim *Cantica latina*, München/Zürich 1985, quae et ipsa obtinetur per <http://www.antike-zum-begreifen.de/>.

¹¹ Est enim sepulcrum Iani Novák in ipsa uicinia illustrissimi illius musici, quem Brunnenses unice colunt.

Cui nunc fere idem precor, quod olim Vlmae et Roboreti precatus sum:
„Sit tibi patria terra leuis.“